

MANDATUM
RECTORIS
OB RESTITUTAM SERENISSIMO *DELPHINO* VALETUDINEM.





NOS FRANCISCUS-NICOLAUS GUERIN, RECTOR Universi Studii Parisiensis, Omnibus & singulis ejusdem Universitatis Doctoribus, Magistris, Clientibus, & Administris, SALUTEM.

NOSTRAM pietatem in REGIAM FAMILIAM per assiduas mœroris & gaudii vices exercet Deus Omnipotens : nimirùm, ne Principibus Optimis, quæ optima sunt ab ipso dona, arroganter & ingratè securi perfruamur? Timuimus Saluti Publicæ plagam omni calamitate tristiorem, nullâ fortunâ sanabilem. Dilectissimo Capiti, Tuo *DELPHINO*, Gallia, timuisti non breve aliquod & unius diei periculum, quale cùm, ante aliquot annos, cruentâ in

acie Patris comes & æmulus vincendi rudimenta poneret; ſed longas funeſtæ luis moras, quæ ab ipſo exortu minax, plena anxietatis in proceſſu, vix aliquid ſpei territis heu! reliquerat. Qui tùm gemitus omnium, quæ ſuſpiria? Decumbere pretioſum Orbi PRINCIPEM eâ peſte contactum, quæ in Regum Palatiis ſævire crudeliùs ſolet: PRINCIPEM illis dotibus inſtructum, illo ætatis flore! ita Nos Auguſtiſſimorum Parentum mœſtitiam omnem pectore ſentiebamus: Conjugis tenerrimæ, beatiſſimæ nuper Puerperæ, lacrymis miſcebamus lacrymas: horum luctu noſtroque jacebamus. Neque Gentem in ſuos Dominos propenſiſſimam fallebat amor, ſuorum damnorum ſæpè immodicus æſtimator. Lugebamus ſolliciti virtutes expertas, quarum vel ſola fama totam Europam noſtrâ formidine perculerat.

AT ecce tandem reviximus. Convaluit *DELPHINUS*; Gallia convaluit. Noluit Deus REGEM animi in populos tam paterni, propter quem liberorum numero lætantur privatæ Civium familiæ, orbari pignore unico, dulciſſimâ ſuî ſpe & imagine. Audiit planctus & vota REGINÆ ſanctiſſimæ, tàm alto vulnere hòc magis indignæ, quòd Filium, quem naſcentem Deo, ut illa LUDOVICI NONI Parens, ſacraverat, ſibi ad Dei gloriam unicè reſtitui Mater Chriſtiana flagitaret. Non paſſus eſt optatiſſimo præmio defraudari invictam *DELPHINÆ* fortitudinem, quæ lecto jacentis affixa, in piis officiis dies noctesque pulchrè pertinax, uſque perſtitit ægrum curare, ſolari, ipſa impatiens ſolatii: naturæ doloriſque victrix: ſiccis oculis, dum ipſi cor ſanguineo fletu rumperetur: vultu placido & illâ fronte, quam ſerenant gratiæ, cùm omnia funeſta, infanda horreret: auſa etiam letales halitus oſculis combibere, verus tot heroüm ſanguis, egregiæ animæ contemptrix; quæ jam velut ovat ſuaviſſimo Conjuge, quem morti eripuit, quicùm non recuſavit mori.

ERGO nunc omnibus exultat gaudiis Auguſta Domus, quæ & piæ lætitiæ triumphum Templo Urbis primario jam intulit.

Beatam Domum ! cujus ex ſalute felix undique concentus exoritur; cujus bonis omnes Gentes accinunt, ut inter tot totius Europæ gratulationes vix tuos ſenſus tuis PRINCIPIBUS imputare poſſis, ô Patria ! At hoc ipſum impetrati beneficii pretium indicat, pro quo neſas ſit Principem Academiam vota non ſolvere, quæ nullis ſe non obligavit, ut impetraretur. Vivit *DELPHINUS* noſtris Artibus excultus, Studiorum noſtrorum Patronus. Aris affuſi poſtulavimus ut viveret : conceſſi muneris grates ad aras referendæ ſunt : quippe jubet hoc ipſe PRINCEPS, qui, ut eſt grato in Deum animo, nullo plauſu delectatur magis, quàm qui Religionem adhibet interpretem.

ITAQUE jubemus in ſingulis Collegiis intrà primam ab hujus Mandati promulgatione hebdomadam cantari Hymnum Euchariſticum *TE DEUM.*

PRÆTEREA, ne careat tàm pulcher eventus ullâ lætitiæ ſignificatione, Volumus, dilatis ad diem à Nobis indicendum ORDINARIIS SUPPLICATIONIBUS UNIVERSITATIS & præclaræ Facultatis Artium Comitiis, Ferias Academicas ad diem Martis decimum menſis Octobris prorogari; quo die, pro more, Sacrum SPIRITUI SANCTO celebrabitur, & ſolitæ inſtaurandis Scholis Conciones habebuntur.

DATUM in Ædibus noſtris SORBONÆ-PLESSÆIS, die Jovis trigeſimo-primo menſis Auguſti, anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo quinquageſimo-ſecundo.

Ex Typographiâ THIBOUST, REGIS, nec-non Academiæ Pariſienſis Typographi, in Plateâ Cameracenſi. 1752.